Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26054
Copyright: Admont, Benediktinerstift

sed sic unctio eius docet uos de omnibus. Vnde bibunt homines & iumenta.
id est doctrinam accipiunt ingeniosi quique & simplices. quia quantum idonea est
anima accipientis. tantum ibi inuenit documentum suę salutis. Sequitur.
Paruumque hoc est in conspectu domini. insuper tradet etiam moab in manus uestras.
& cetera. Non enim sufficit seruis dei abdita mysteria scire. quin etiam de-
bent ea aliis predicare. & contra dicentes redarguere. quibus promissa est certa
de hoste uictoria. ut percutiant omnem ciuitatem munitam. & omnem
urbem electam. & cetera. Ciuitates munitas & urbes electas possumus
secularem prudentiam intellegere. in qua maxime phylosophi & heretici
confidunt. Hę ergo per predicatores sancti euangelii subuertentur. Vnde dicit apostolus.
Arma militię nostrę non carnalia sed potentia deo ad destructionem muni-
tionum consilia destruentes. & omnem altitudinem extollentem se ad-
uersus scientiam dei & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in ob-
sequium christi & in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam. Vni-
uersa ligna fructifera succident. non illa ligna quę faciunt fructum bonum
sed quę mortiferum gerant partum. quę radicitus securi diuini examinis
succisa. pabulum fient ignis eterni. Cunctique fontes aquarum obdurentur.
cum heresiarchę simul cum suis sequacibus per catholicos doctores dampnantur.
& omnis ager egregius lapidibus operietur. cum uenustas locutionis hereti-
cę atque phylosophicę anathematis pondere obduretur. nihilque remane-
bit intra moab. nisi muri tantum fictiles. hoc est falsę raciocinationis
fragilium doctrinarum. quę a fundibulariis. id est sanctis predicatoribus ecclesię circum-
datę. maxima ex parte refutantur & ad nihilum rediguntur. Quod autem moabitę
orto sole ex aduerso aquarum uiderunt contra aquas rubras quasi sanguinem gladii
existimauerunt dicentes. Quod tres reges qui contra se uenerunt ad pugnam
inuicem se occidissent & sic delusi sunt. ita & philosophi uerbum crucis christi
stulticiam existimant. Sed secundum apostolum quod stultum est dei sapientius est homi-
nibus. & quod infirmum est dei. fortius est hominibus. quoniam prudentia carnis mors est.
·ler prudentia autem spiritus uita & pax. Ad probandum autem quod moab in presenti loco